

NOTAE

4 Distinguiamus ergo partes integrales dogmaticam et positivam (cf. supra, nota 1) contra veterem et communem usum qui adaequate non distinguebat theologiam dogmaticam et theologiam positivam<sup>1</sup>, cum illa contra theologiam moralem, haec contra theologiam scholasticam vel speculativam vel systematicam ~~dividebat~~ divideretur (cf. M.-J. Congar, art. Théologie, DTC 29[1946], 426-30, 462 ss.).

At tamdiu potuit theologia positiva cum dogmatica identificari, quamdiu ipsi theologiae positivi directe finem vel dogmaticam<sup>u</sup> vel apologeticum intendebant.

NOTAE

1 Latiore sensu dogmatica dicitur theologia prout a morali distinguitur, et similiter latiore sensu positiva dicitur theologia quae contra scholasticam, speculativam, systematicam dividitur. Qui quidem usus sub finem saec. XVI incepisse videtur (cf. M.-J. Congar, art. Thél Théologie, DTC 29[1946], 424-430) et iam pridem communiter recipitur. Cum tamen theologiam dogmaticam et theologiam positivam adaequate non distinguat (cf. ibid., 462 ss.), nostris temporibus plus confusionis quam utilitatis afferre videtur. Quo enim magis positiva studia proprium finem prosequuntur et propriis methodis utuntur, eo minus directe finem vel dogmaticum vel apologeticum intendunt. Qualem enim theologiam biblicam exposuit suasitque A. Descamps (Réflexions sur la méthode en théologie biblique, apud Coppens-Descamps-Massaux, Sacra Pagina, I, Paris-Gembloux 1959, pp. 132-157), talem non adit dogmaticus ut loca sacrae scripturae collecta et explicata theses suas iam probatas ibi inveniat. Quod vero in studiis biblicis fit, idem in patristicis, mediaevalibus, aliisque invenitur. Ante pauca decennia magnum illud opus a J. Lebreton compositum, Histoire du dogme de la Trinité, ita fini dogmatico proxime inserviebat ut theologia positiva dici posset quin positiva a dogmatica distingueretur; sed alterius generis sunt recentiora studia patristica. Quinimo, ipsa studia mediaevalia, quae olim ad theologiam non positivam sed scholasticam pertinere viderentur, hodie vel speciem speculationis evitare conantur ut normas investigationis positivae tam fideliter quam exacte sequantur.

Evolventibus ergo ipsis studiis, evolvatur necesse est etiam studiorum divisio. Ubi enim theologia positiva minus directe fini dogmatico inservit, ibi plura ipse sibi praestare debet dogmaticus; quod tamen non est factururus, nisi ad proprium finem attendit, proprium obiectum determinat, propriam methodum inveniat